DISSERTATIO INAVGVRALIS
EXHIBENS QVAEDAM

DE

CONSTITVTIONE EPIDEMICA

ATQVAE

ENDEMICA

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THV-
RINGIAE REL.

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

A. D. VIII. IVLII CIↄIↄCCLXXXXIV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

PHILIPPVS IACOBVS SCHEVRER
NEOWIEDENSIS.

IENAE,
EX OFFICINA GOEPFERDTIANA.

Perexiguus profecto pro rei magnitudine mihi exſtitiſſe videtur numerus eorum, qui *de cauſis morborum externis cum generalibus*, tum *particularibus* dextre deſcribendis auctores fuerunt. Quorum cum aetate, tum doctrina facile princeps evaſit venerandus ille *Hippocrates*, cuius dicta huc pertinentia in ſectione III. aphoriſmorum in libris *de diaeta acutorum* ac de *aëre, aquis et locis*, tanquam oracula, ingenium eius rerum inveſtigans penetransque naturam ſatis ſuperque probatura, ad omnia ſecula perennabunt. Hunc, multis interiectis ſaeculis, ſummi viri, Sydenhamus et Lanciſius ſecuti, neglectam ſcientiam reſtaurarunt, ingenioque, quo omnes ſui aevi medicos facile praecellebant, et ſtudio inſigni ornarunt. Quorum veſtigia, maiori licet interpoſito ſtadio, plures e Britannica gente preſſerunt medici, *Huxham*, *Wintringham*, *Lind*, *Pringle*, *Sims*, *Clark*, *Gregory*, nuperrime etiam *Ferriar*; e Gallis quidem *Leveque de la Cloture*, *Aubry*, *Beaume*; e noſtra vero gente magnus vir *Stollius*, a quo nova nobis exit periodus; praeterea *Fritze* Halberſtadienſis (Mediciniſche Annalen für Aerzte und Geſundheitsliebende, Leipz. 1781.) *Schaeffer* (Verſuch einer mediciniſchen Ortbeſchreibung der Stadt Regensburg 1787) *Finke* (Verſuch einer allgemeinen mediciniſchen Geographie. 1. 2. Band Leipz. 1792.), qui viri ex profeſſo magis de conſtitutione externa

mor-

morborum scripsere. Quanti vero momenti haec sit materia, neminem quidem latebit, qui primum in ea maxime positam esse meminerit methodum praevertentem, in medicina curativae, ut mihi quidem videtur, dignitate certe aequalem. Minus quidem haec medicinae pars gloriae divitiisque parandis inservit, quibus solis pseudomedici inhiant; at vero pulcherrime congruit cum eo, quod omnis genuinae medicinae principium est ultimumque fundamentum, ita, ut humanum genus felix possit praedicari, forsan praedicabitur etiam aliquando, cum, aucta parte illa nobilissima, altera quodammodo decreverit usu. Ad nostram tamen vsque aetatem studii et laboris parum hac in re collatum esse quam maxime persuasum mihi habeo. Quodsi aliquando operae plus conferatur in hac parte medicinae, nemini plus gratificabimur, quam hominum classi et utilissimae, et copiosissimae, pauperibus egentibusque, qui epidemicis atque endemicis morbis maxime premuntur, difficillime tamen ab iis cavere valent. Posse quidem ejusmodi morbos saepius praeverti, id est, quod omnes humani generis confidunt amici, et experientia fulti etiam confidere possunt, qua nonnullos morbos non solum praeversos, sed e terris quibusdam etiam plane exstinctos esse constat. In qua experientia an sistemus? Quidni bonorum omnium satisfacere quaerimus voto? Id enim jam nostrorum medicorum est, ut, quod fore confidunt illi, videamus, quanam effici possit via; quae clarius iam amplius que intonuit quaestio, ab ipso genio huius saeculi pronunciata. Quin etiam libris tractari iam coepit, omni dignis praemio ab *ill. Frank*, (System einer vollstaendigen medicinischen Policey Mannh. 1777.) *ill. Hufeland* (v. teutscher Merkur. 6tes St. Octo-

ber und November: Neue Ausſicht zur Ausrottung der Blattern) et aliis de exſtinguendis quibusdam morbis ſollicitis, neque dubium eſt, quin alii venerabilium virorum exempla tandem aliquando ſecuturi ſint. Sed, quam vtilis ſit cauſſarum externarum et generalium, et particularium notio, ex eo quoque elucet, quod ad ipſum rite ſanandi negotium omnino ſit neceſſaria. Quodſi enim morbi adſint, ab his cauſſis orti, non prius ſanari poſſunt, quam ipſis cauſſis remotis, hae vero removeri nequeunt, ni prius fuerint ſedula inveſtigatione detectae. Exploratu autem non facillimas eas eſſe, omnes fere auctores aſſerunt. patebit praeterea ex enumeratione iſtarum cauſſarum, quarum neglectus longe plus detrimenti atque periculi affert in morbis epidemicis, quam in ſporadicis, cum ibi ab obſeruandum temporis multo minus porrigatur, maior ſimul urgeat neceſſitas magisque communis, cumque tunc, non cognita cauſſa, praedici nihil poſſit, infinitaque ſit imperiti medici anxietas et curſitatio. Saepe etiam fit, vt aliquantum temporis morata aegri reſtitutio, cuius rei cauſſam remediis, aut non rite, aut non copioſe ſatis porrectis, tribuunt, ab ipſa aut aëris, aut loci conſtitutione, aut a victu pendeat; cuiusque ignari medici cauſſae, conſcientia conſtrictos ſe putent, ut alia, e. g. oppoſita viribus remedia adhibeant, quae, ni periculum augeant, naturae tamen vim cohibere aut morari poſſunt. Sed alia praeterea commoda ſunt, quae magis exactam genii epidemici ſecutura eſſent cognitionem. Foret enim, vt, cognita natura ſymptomatum, quae nulnera e. g. comitantur, melior et aptior curatio eſſet. Intelligitur inde, qui fiat, vt certis temporibus operationes ſucceſſu felici ſemper gaudeant,

 aliis

aliis vero semper careant, forsan etiam hoc, qui fiat, vt aegri, qui in vno degentes nosocomio diuersissimi generis vlceribus laborent, derepente omnes simul aut melius, aut peius agere videantur &c. Sed iam ad exponenda ea progredior, quae in hoc libello tractare in animo mihi sunt. Equidem cum plurimorum auctorum quos supra nemimi, scripta, ad notionem de morbis epidemicis et endemicis pertinentia, officio simulac voluptate ductus attente perlegissem, referre proposui, quae exinde redundare mihi visa sunt.

Omnes

Omnes cauſſae morborum externae cum generales, tum particulares, a qualitatibus oriuntur aut *aeris*, aut *coeli*, aut *ſoli*, aut *aquarum*, aut denique a *viuendi ratione*, aut *miaſmatum* et *contagiorum* eorum, quae ex ipſa horum commiſtione generantur. Ex his vero cauſſis aliae ſic ſunt conſtitutae, vt, nullius loci ratione habita, in regionibus maxime a ſe diuerſis, eandem vim exſerentes, et quoquouerſus penetrantes hominum corpora aut ad morbos praediſponant, aut re vera morbos generent, aut alios (ſporadicos) morbos in naturam ſuam vertant; quarum complexum equidem *conſtitutionis epidemicae* vocabulo deſignandum cenſeo. Sunt et aliae praeterea cauſſae non generales, ſed particulares, quae ſingularum regionum naturam conſtituentes, certa ratione corpus humanum afficiunt, et ad certos morbos aut diſponunt aut re vera perducunt; quarum complexum *endemicam conſtitutionem* dico. De vtraque vero conſtitutione ſeorſim nunc dicetur.

DE CONSTITVTIONE EPIDEMICA.

Hac igitur nomine omnes morbificas cauſſas externas generales intelligimus. Cum nulla, quatenus quidem *epidemicae* ſunt, ſemper uni haereat loco, ita plerumque vagantur, ut aliae cum aliis alternantes, homines afficiant, modo celeriusmodo tardius ingredientes, aliae palam periodicae, aliae nullam temporis ordinisque ſucceſſiui ſenſibilem quidem rationem habentes. Plurimum vero refert, iſtaene alternationes ſubito fiant atque crebrius, an lentius et rarius. Ipſae enim repentinae crebrioresque earum mutationes, nouis quibusvis irritamentis neruos laceſſendo, corpus peſſime afficiunt et ſaepiſſime earundem cauſſarum alternationi, pedentim magis factae, quoad effectus, e diametro oppoſitae ſunt. Corpus enim noſtrum etiam e peſſimo quovis ſtatu, ſine detrimento non, niſi caute ac lente in meliorem migrare ſuſtinet. Sin ſubito migret, natura aſſuefacta priſtino iam ſtatui, nullosque ſaltus fieri paſſa, ſpretam ſuam vlciſcitur legem, tumultusque in corpore ciet, qui aliquando non, niſi morte finiuntur. Sed et illud plurimum intereſt, quonam ordine generales illi influxus alternent. Ita nimirum cauſſas illas inuicem ſeſe ſubſequi optimum videtur, vt ſequens quaeque, licet ipſa mali aliquid afferat, ſimul ea corrigat, quae priſtina corruperit, et, vt ita dicam, criſin in corpore noſtro inſtituat. Sed iam ad ipſas cauſſas tranſeamus, viſuri, quaenam ſint et quomodo in corpus noſtrum influant. Omnes vero epidemicorum morborum cauſſae, a variis qualitatibus aeris conſtituuntur, quod facile intelligetur, cum perpendimus, omnia quae cernimus, nosque ipſos ab aere circumdari, eſſe eum commune omnis vitae pabulum, reſtauratorem virium noſtra-

rum

rum, humorum ſolidorumque omnium redintegratorem. Quaeritur, quaenam ſint organa, per quae, tamquam intermedia, aer morbifice in corbus noſtrum agat, idque ſic afficiat, ut hac parte, hoc morbo potiſſimum laboret. Partes illae, quae aeris influxui proximae maximeque obnoxiae iacent, ſuperficies ſunt externae cutaneae, et internae pulmonum ductusque oeſophagei. Hae, tamquam ianitores corpori inſeruientes, omnes aeris influxus primae excipiunt, ſuasquae affectiones in vlteriora et interiora corporis propagant; quam ob cauſſam infinitis vaſorum cum ſanguineorum, ſeroſorum, lymphaticorum, glanduloſorum, tum nervorum ramuſculis abundant, quae, prout ipſae ſint affectae, reagant, alienaque irritamenta a ſe aut removere, aut ſuperare nituntur, cui peragendo negotio quando impares ſunt, internarum partium vires, pacto quodam a legibus naturae ſancito, in auxilium vocant, iamque communis fit res. Et inde quidem patet, plurimum in eo verti, quisnam ſit ſuperficierum iſtarum ſtatus, laxae ſint, an rigidae, graciles, an durae, viribus humoribusque abundent, nec ne, nerui earum qua gaudeant ſenſilitate? Sed id etiam monendum eſſe videtur, varias aeris qualitates non omnes ſuperficierum aut totius etiam corporis partes ſimili aut ratione, aut gradu afficere videri. Aliae enim in ſyſtema arterioſum ac venoſum, aliae in lymphaticum et reſorbens, aliae demum in nerueum, aliae potiſſimum in ſuperficiem externam, aliae in internam magis, aliae magis mechanice, aliae chemice potius agere, aliae demum ſpecifica quadam vi certam corporis partem afficere videntur. Sed haec, ſenſibus noſtris comprehenſibilia, cum ſimpliciorem magisque, ut equidem arbitror, ſanam in patho-

 logia

logia explicationem concedunt, tum ad practicam medicinam minus neceſſaria ſunt. Oritur etiam quaeſtio, qualis ad epidemicos morbos corporis requiratur praediſpoſitio? Communis vero praediſpoſitio nulla ſtatuenda eſſe videtur, niſi quae ſtructura viribusque ſuperficierum ſupra dictarum et neruorum ſenſilitate nitatur.

De *qualitatibus aeris, in corpus humanum agentibus. I. De frigore et calore*, quorum periodicus curſus alternatiuaque ſucceſſio diſcrimen conſtituit inter anni tempora, quare illarum *conſtitutio annua*, morbique inde orti *annui* audiunt ſeu *periodici. Frigus* quidem vaſa cutanea conſtringit, fibrae tonum auget, inſenſibilem, maxime partium oleoſarum atque mucoſarum perſpirationem, impedit, difficilioremve et imperfectiorem reddit. Inde aucta vis premens continentium in contenta, maxime vero vaſorum in ſanguinem, qui in robuſtis certe, corporibus ob auctam vaſorum vim et ob compingentem frigoris in humores virtutem ſpiſſior cruorisque ditior, quam ſeri euadit. Debiliora vero corpora magisque exſucca ſenſilioraque eadem externa vi facilius ad ſpaſmos excitantur, in extremis praecipue partibus: quare ſtagnationes ſaepius hic fiunt. In pulmonibus vero compactus frigore aer a calore eorum extenditur, laxique viſceris vaſa aut rumpit, aut plurimum comprimit, ſanguinique per ea impedit iter. E quibus apparet, conſtitutionem aeris frigidi, maxime vero hyemalem; impeditam inſenſibilem perſpirationem primum quidem pituitam, dein, progreſſo tempore frigoris, aucta jam in robuſtis corporibus reſorbtionis et ſanguificationis viribus, inflam;

flammatosios aut habitus, aut ipſos morbos gignere; in debilioribus vero et ſenſilioribus naturis ſpaſmos, maxime in ſuperficie, et ſtagnationes, indeque rheumaticos, et catarrhales, et anginoſos morbos generare; Id quod experientia ſatis ſuperque probatur. —

Calor fibram relaxando cutaneorum vaſorum aperit poros, humorum partes maxime volatiles ac ſubtiles allectatas in al[illegible]m educit. Laxata autem compage ſolidorum, vis diminuitur in minutiſſimis praecipue et a corde maxime remotis vaſis, quae aperta ac debiliora ad excernendum coguntur a calore, dum humores nondum ſatis elaborarint et ſecreuerint. Inde aquoſae plerumque partes euadunt, ſpiſſiores vero remanent, et per ipſum calorem et ſtagnationem acres redditae, cum extrorſum ob vaſorum debilitatem tranſpirare nequeant, introrſum transſudant, inde auctus verſus centrum motus, in inteſtina[illegible]n maxime tubum ſyſtemaque abdominale, praecipue hepaticum, vt debiliſſimam ob lentiorem humorum circuitum, neruorum copiam *crebrasque irritationes* partem. Sequitur hinc, vt tranſpirabile hoc retentum primas vias irritet, quae tamen et a ſuis ſuccis afficiuntur; qui, vt minutam ſolidorum vim peius elaborati, et rudiores, et chylificationi minus apti, ſolida iterum irritant, ſpasmosque cient. Quod maxime in hepate fieri oportet, vt ſupra iam dictum eſt. Unde bilis acrior, ſpiſſior et rudior partes eas, maximo neruorum plexu et conſenſu gaudentes, hepar, duodenum et ventriculum etc. quam plurimum irritat, cum et faecibus aegrius miſcenda diutius his in locis moretur. Iam vero nemini mirum eſſe videbitur,

tur,

tur, in aestate biliosum potissimum regere habitum, ac plerisque morbis aut biliosi, aut, dominante simul humiditate, putridi etiam aliquid inesse. Hinc febres biliosae, dysenteriae, inprimis cum noctes frigidiores sint. diarrhoeae. cholerae, singularum etiam partium affectiones cum bile conspirantes.

Ex alterno vero frigoris in calorem transitu reliqua duo anni fiunt tempora, ver scilicet et autumnus, cuius initio epidemica constitutio mixtae est naturae. Ver enim initio inflammatoriis et pituitosis adhuc corregitur morbis, in fine iam biliosis, autumnus vero magis biliosis et putridis et picuitosis (atrabilariis). Cumque sic tempus inter calorem et frigus haereat, saepiusque, matutinum certe ac vespertinum, magnopere ab iis agitetur, nebulis praeterea ac rore abundet, simul et siccitas et humiditas aeris crebrius inter se alternent, quid mirum est alia multa inde etiam oriri mala? Pori enim cutanei modo constringuntur ant obstruuntur, mox vero recluduntur; qua ex caussa perspirabilis materia, a calore aeris elicita iam in superficiem, mox a frigore occlusa, cum iam per solidorum constitutionem introrsum resudare nequeat, in extremis vasis atque glandulis haerens, acrisque reddita irritat, et rheumatismos, catarrhos, anginas, tusses aliosque id genus morbos parit. Sed a tanta irritamentorum varietate necesse est neruos etiam affici, e quorum reactione frequentes fortasse febres intermittentes, et vernae, et autumnales proficiscuntur. Neruosam hanc febri intermittenti esse naturam, mihi quidem sumo 1° ex ceteris, vnde plurimum oriri solet, caussis, aquarum nimirum paludumque subtilissimis effluuiis, 2°

ex

ex symptomatibus, vehementiore magisque diuturno frigore, obscitatione scil. et pandiculatione frequente, tractu in spina dorsi (quod intercostalem potissimum neruum affectum denotare videtur) insatiabili siti, liuore unguium etc. 3° ex iuuantibus; iuxta enim emetica aromaticis maxime remediis sanatur. Sed iam videas, quale inter vtramque febrem ponatur discrimen. *Verna* enim febris, quae a Februario ad Augustum vsque dominatur, vt ait STOLLIUS, (vide Aphorism. de Febr. intermitt.) „vt „plurimum breuior, subinflammatoria, synocho im„putri affinis, regularis, sponte aut modico apparatu „sanatur, recta abiens in sanitatem, medicatrix sub„inde inueteratorum malorum". Quibus magni SYDENHAMI verba adjiciam, (vid. Oper. Tom. I. De constitut. epidem.): „Febres tertianae, ait, ver„nales quartanarum typum numquam induunt". „*Autumnales* vero, vt ait STOLLIUS, (quae ab Au„gusto in Februarium dominatur) plerumque longa, „remittens, subintrans, biliosa, atrabilaria, septi„ca, anomala, pernicioso symptomate stipata, sae„pe desinit in lienes magnos, reliquorum viscerum, „maxime hepatis infarctus etc." Sic autem SYDENHAMUS de autumnalibus dicit: „Primo tertiana et „sanos inuadit, et si epidemice grassatur, et aetate „prouectiores, aut prauo corporis habitu praeditos „ferit, haud vacat periculo etc. Deinde quartanae „et periculosiores sunt, et obstinatiores longe, quam „sunt illae de quibus vltimo diximus. Natu enim „grandiores paucis adhuc paroxysmis multatos iugu„lant etc." Hoc igitur discrimen in eo mihi videtur niti, quod 1° vires verno tempore ac autumnali adeo dispares sunt, veris initio auctae, sub autumno debilitatae. Nam hic, vt semper, *praegressae constitutionis* character respiciendus

dus eſt, 2° quod vtroque tempore humores irritantes plane diuerſae ſint naturae, vere habitu inflammatorio, putrido autem ac pituitoſo praediti in autumno. 3° ipſum praeterea vernum tempus, vt in vniuerſa natura, ſic et in corpore noſtro ob auctam humorum, vt ita dicam, *vitalem* turgeſcentiam et vegetationem magis criticum eſſe videtur et robuſtioribus certe hominibus ſalutare. —

De humiditate ac ſiccitate aeris. Aer humidus, pluuioſus, aquoſis ſaturatus partibus, materiae perſpirabilis aut minus, aut nihil excipiens, immo ſaepius aquam corpori impertiens, fibram laxando debilitat, neceſſariaque elaſticitate deſtitutus pulmones minus premit. Impedito igitur ſanguinis motu, humores ſtagnant et accumulantur, inde, dominante ſimul frigore, obſtructiones, tuſſes, aſthmata, etiam hydropes. Calore autem oborto, ob impeditam perſpirationem cutaneam auctamque adhuc corporis laxitatem, et laeſam maxime digeſtionem, ſolidorum cachexia, fluidorum cacochymia, acrimonia, corruptio et putredo generatur; quae plerumque cauſſae in autumno putridas febres generare ſolent. Scimus porro, eſſe aquam materiae electricae conductorem, hanc vero materiam plusminusue corporibus noſtris inſidere. Quaeritur autem, annon ſaturatus aqua aer materiam iſtam e corporibus eo facilius educat, quo ea magis egeant? Inde forſan eluceſceret, cur homines infirmi, exigua vitali vi gaudentes, inprimis hypochondriaci, in pluvioſo aere tam male degant, adeoque exinanitos ſeſe ſentiant, pluuioſo autem tempore diutius permanente, febribus neruoſis corripiuntur ſaepius, iidem vero, aere in ſiccum mutato, plane exaltati inſolita vi praediti ſibi videantur, quippe qui

forſan

forſan tunc electricam materiam rurſus exceperint? Operae profecto pretium foret plura de his facere experimenta, neque abſurdum mihi videtur, ſi medici meteorologicae ſupellectili Voltanum condenſatorem addere velint. Quicquid ſit, ſcimus aerem pluvioſum hos parere morbos, nempe hydropes, obſtructiones, ſcrofulas, ſtrumas, catarrhales morbos, vertigines, ſopores, vermes, indigeſtiones, omnium praeterea morborum maxime fere terribiles, febres putridas ac neruoſas.

Iam vero *ſiccus* aer contrarios effectus exſerit. (vid. GAVBII pathologiam). Humores enim reſorbendo corpora exſiccat, et fortia quidem, ſed exſucca rigidaque reddit, inflammatoriae et atrabilariae conſtitutionis amicus, electrica praeterea materia plurima gaudens, humiditate ſic fere ſalubrior, vt calore frigus. Nam quandocunque praedominanatur, multo minus inuenitur morborum et letalitatis, quod extra diſceptationis campum poſitum eſſe, ſi perſuadere velis tibi, ſummos conferas auctores huius rei arbitros.

De grauitate et leuitate aeris. Aer aequali, licet grauiori et plus, quam modica vi in corpus premens, ſolidorum fulcit robur, ſecretiones omnes ſanguinisque, per pulmones maxime, motum adiuuat, calorem auget naturalem. Sin vero inaequali premat vi, nocet, quia humores maiori copia e preſſa parte in minus preſſas aufugiunt; vnde pro ratione ſenſilitatis aut vtilitatis partium plus minusue capitur damni. *Aer* autem *leuior* laxitatem augendo reſiſtendi minuit vim, debilitatem ac dilatationem vaſorum, praecipue pulmonalium, conciliat, fixumque aerem euoluit. Inde reſpiratio dimci-

difficilis atque anxia, inflammationes, pulmonum maxime, haemoptyſis, humorum denique acor, ructus, digeſtio laeſa omnesque laxitatis morbi.

De aeris motu. Nemo eſt, qui neget, ventos et ſaepe prodeſſe, ſaepe etiam obeſſe. Diſtinguuntur vero primum typo. Alii enim regulares ſunt, alii irregulares, deinde et celeritate, et patria, qua proficiſcuntur, regione. Hic vero de regularibus tantum ventis dicetur, qui in plerisque certe regionibus pares exſerunt effectus, quam minime particularibus mutandi rebus. Hi plerumque aequali, nec adeo celeri gaudent motu, dum irregulares celeritate longe maiori agitentur. Ob elaſticitatem atque celeritatem ſuam pulmones potiſſimum premunt, partesque eas, quae illis maxime objiciuntur, unde, ſi diutius praeterea ac vehementiores in partes quasdam perſiſtunt, pro diuerſa celeritate aut patria mala aut generalia, aut topica ingerunt, pharyngi maxime et laryngi, inprimis vero *pulmonibus* externisque corporis partibus, praecipue capiti, maxime *oculis*, aut toti ſimul corpori morboſos habitus, aut ipſos denique pariunt morbos, ſeu inflammatorios, ſeu putridos, ſiue neruoſos, ſiue rheumaticos et catarrhales. Praeterea plurimum valent ad transferenda cito e locis maxime etiam remotis miaſmata atque contagia quaedam, aliasque materias morboſas, quae cum annuo minus conſentire videntur morborum genio. *Boreales* autem et *orientales venti*, frigoris plerumque filii, inflammatorios et rheumaticos ac catarrhales morbos generant, inflammatorios vero maxime in origine certe topicos; e. g. periopneumonias, pleuritides, ophthalmias, niſi forte diutius inſtiterint. Ramazzini in operum Tomo III. de aquilonibus hoc

hoc dicit: „Solarium radiorum hebetant vim, vaporum a leni calore elevatorum diffusionem prohibent, „et volatiles spiritus, quos in suo ad nostrum „verticem accessu sol quaquauersum distendit, re-„tro pellunt versus australes plagas“ *Australes* vero *venti*, vt plurimum calidi, teste *Horatio*, male vbique fere audiunt, et profecto omnium perniciosissimi inueniuntur ob ipsum, quo stipati sunt, calorem, in itinere et tamquam obiter innumera in aerem rapientem terrarum et aquarum, et animalium vegetabiliumque effluuia, quae illi, quocunque penetrauerint locorum, diffundunt, quin specifica etiam contagia ex Aethiopiae desertis ducere feruntur *). Quicquid sit, experientia docemur, austrum

*) Cf. *Lancisi* de noxiis paludum effluuiis.

neruos plurimum afficere, et hypochondriacis maxime esse invisum omnibusque sensilitate nimia laborantibus, febresque neruosas gignere. De ventis autem quae dicenda supersunt, non huius sunt loci, sed ad secundam pertinent sectionem, in qua de endemica constitutione dicendum est.

Reliquum est, vt de *subtilioribus aeris qualitatibus ac mutationibus* verba faciamus Quas negari nullo modo posse magnorum medicorum auctoritas testatur, sexcenties quippe expertorum, dari morbos, qui, cum iisdem temporibus anni, ceteris etiam sensibilibus aeris qualitatibus fere inter se aequalibus, nomine praeterea aequales, diversis dominentur annis sanandi tamen methodo toto, vt aiunt, coelo differant. Hi autem morbi ab Sydenhamo et Stollio *stationarii* sunt dicti, quod ab annua constitutione non mutandi per totos saepe

 annos

annos perſiſtunt, ceteroſque, annuis non exceptis, veluti regunt morbos. (Vid. SYDENHAM. Opera Vol. I. cap. morb, epidem. et Stoll. aphoriſm. art. d. Febr ſtationar.). „Conſtat, STOLLIVS ait, eos „omnibus omnino febribus et febrilibus morbis, ſeu „ſint ab annua mutatione, ſeu a cauſſa quadam ſin„gulari productae, dominari, eosque in ſuam pote„ſtatem redigere"; Et alio loco: „Num ceterum „ſtationariae febres certo ac ſtabili quodam ordine „recurrant, an vero novae ſubinde naſcantur, de„terminari non poteſt ob defectum obſeruationum". Equidem mihi perſuadeo, indolem ac periodum harum febrium tamdiu obſcuras nobis futuras eſſe, quam ſubtiiiores aeris qualitates ac mutationes, eiusque in cetera, quae nos circumdant, corpora influxus ac refluxus a nobis non cognoſcuntur. Ad qualitates iſtas proprio iure referenda eſſe videtur electrica, de qua ſupra dictum eſt, et magnetica materia quae ad neruoſum ſyſtema potiſſimum pertinere et pertingere videntur. Sic et terrae magnas mutationes huc pertinere, multumque in epidemicum genium influere nemo negabit, qui norit, aerem e. g. in Luſitania et Hiſpania poſt terrae motum anno 1756. frigidiorem minusque ſalubrem euaſiſſe, niuesque inde nonnumquam cadere antea inauditas. Neque vero aſtrorum etiam, maxime lunae, ac ſolis mutationum, influxus plane negligendus eſt. (cf. BURCKHARD ap. KAEMPF et Perill. GRUNER Script. de morbo gallico, p. 8. not. Orig. Marran.) Non poteſt infitias iri, coeleſtibus corporibus prioribus ſaeculis talem in homines vim eſſe attributam, qualis ſenſibus neque percipi, neque iuſta ratiocinatione cogitari poterat. Neque tamen minus iniquum videtur rationique contrarium contendere, nullum omnino corporum coeleſtium

ſtiun in terram noſtram dari influxum; quod abſurdum eſſet, etiamſi experientia nondum, vt revera eſt, refutatum foret. Sed et ſummi omnis temporis medici influxus iſtos negare non ſunt auſi. Magnus ipſe HIPPOCRATES iam monuit, ſolſtitia atque aequinoctia obſeruanda eſſe, ne medicamenta exhibeamus, neque vramus, neque ſecemus. GAUBIVS in pathologia influxus tales agnoſcere videtur, RAMAZZINUS. v. SYDENHAMI opera Tom. III. de conſtitut. epidemic. Mutinenſ.) „Sint vtique aſtro„rum in haec inferiora influxus, inquit, quos velle „negare magnae dementiae eſſet; at modus, quo „agant, id omnino indeprehenſibile eſt". Noſtra etiam memoria ab cl. viris LIND [a] BALFOOR [b], et FONTANA [c] in India orientali obſeruatum eſt, mutationes lunae mariſque affluxum et refluxum aperte ludere in febribus, inprimis intermittentibus; mortem enim ſemper vnam poſt receſſum maris ſequi horam. LIND porro, vt certiſſimum factum, narrat, anno 1762, poſtquam terribilis ſaevire deſiiſſet morbus, Anglos mercatores, quicunque tempore eclipſeos ſolaris divini corticis vſum neglexerant, in eundem morbum recidiſſe. Videmus praeterea lunaticos in plenilunio fere omnes pati paroxyſmos.

a) *Lind* von den Krankheiten der Europäer in heiſſen Ländern Aus dem Engliſchen überſetzt, b) *Balfour* über den Einfluſs des Mondes auf die Fieber. Strasb. 1786 Derſelbe von den Inteſtinalfiebern, und dem Einfluſs des Mondes auf dieſelben; aus dem Engliſchen. Breslau 1792. c) Fontana Bemerkungen über die Krankheiten, womit Europäer in heiſſen Himmelsſtrichen und auf langen Seereiſen befallen werden.

xyſmos*). Accepi denique ab ill. HUFELAND, in ver-

*) *Rich. Mead.* Medica Sacra, Lond. 1755 ch. 10. of Lunatic. p. 93. et verſ. germ. p. 74. et maxime comm. de imperio ſolis ac lunae in corp. hum. et morbis inde oriundis, ad calc. *Musgraue* De arthrit. anom. Amſt. 1710.

minoſis tractandis morbis multum ludere lunam; ſaepiusque remedia anthelmintica ante declinantem lunam ne hilum quidem efficere videri. — Neque diuturnae lateque effuſae nebulae illae negligendae ſunt, quas Germanice Heerrauch dicunt, neque ceterorum quorumuis corporum, vt terrae, minerarum, plantarum et animalium evaporationes, ſolarium radiorum vi eductae, quae in aere, potiſſimum calido, aut putredine, aut alia quauis fermentatione corruptae, meo quidem arbitrio pleraque ea miaſmata conſtituunt, quae vulgo ſoli aeri tribuuntur, iure vero tribui nequaquam mihi videntur, quorumque maius atque diffuſius fere crederem appariturum eſſe agmen, ſi ſubtilioribus obſernationibus opera daretur. Sed haec magis iam ad endemicam conſtitutionem ſpectant, de qua mox dicendum erit.

De conſtitutione endemica. *Endemicam conſtitutionem*, ſicuti ſupra iam monui, dico complexum cauſſarum externarum, quae in ſingulis terrae partibus pro ſua ipſarum natura particulares morbos pariunt, ideoque localium, topicarum, ἐνδημικῶν e. i. *inter* populum quemdam dominantium *) no-

*) Cf. A treatiſe of endemic diſeaſes by *Cliffon Wintringham*. York 1781. et prae ceteris *Cartheuſer* de morbis endemiis libell. Franc. 1771.

mine

mine audiunt. Tales autem ſunt caeli, ſoli, aquae, locorum vitaeque rationum qualitates, quas omnes in ſingulis regionibus plurimum variare aliasque ab aliis reſtringi atque mutari, et communi tantum connexu morborum eorum auctores exſiſtere conſtat, ita, vt optimus quisque medicus, quo potiſſimum cauſſarum ſe conuertat, nonnumquam haeſitare poſſit. Sed cum epidemica conſtitutione etiam, ipſa annua non excepta, et cum contagiis cauſſae iſtae ſaepiſſime conſpirant, cum alterna inter ſeſe mutentur vice. Quod ſi harum conſtitutionum alteram cum altera conferimus, hoc fere, quoad effectus in corpus, differre eas diſcrimine apparebit.

Cum epidemicorum cauſſae morborum non ſolum eaedem continuo permaneant, ſed aliquando temporis quoque momento alternent, quaeque contrariae eſſe maxime videntur, proximae nonnumquam ſibi ſuccedant, neceſſe eſt vehementiores inde in corpus effectus naſci, at minus durabiles ac ſolidos, quia quieti natura aſſueſcere non poteſt, ideoque magis etiam reagere debet; vnde fit, vt acuti potius, quam longi morbi oriantur. Dein ipſa ſequens aeris conſtitutio antecedentem ſaepius corrigit, tumultumque et criſin in corpore ciet, qua materia peccans, cocta citius, citius etiam eliminatur, quo ſaepius accidit, vt ſenſibiles cauſſae cujusdam epidemicae effectus non prius, quam remota iam ea cauſſa appareant; e qua ipſa par eſt ratione, in epidemicis maxime priorem ſemper aeris ſtatum obſeruare. De endemicis vero cauſſis longe aliter res ſe habet. Nam cum perpetuos, ni ab illis caueamus, continuosque influxus in nos exſerant, neceſſe eſt, vt mitius quidem ac lentius, ſed et ſecurius ſimul et radicitus magis naturam mutent no-

 ſtram;

ſtram; quae, arctiorem cum iis familiaritatem contrahens, earum impetum ſegnius repellit, plusque patiendo, quam reagendo cedere cogitur e loco, induciisque conciliandis vincitur. Qua de cauſſa longos magis morbos, vitiaque corporea morborumque diſpoſitiones ab illis produci videmus. Experientia praeterea docemur, conſtitutiones iſtas minus inter ſe ſociabiles ita eſſe, vt aequali imperio regionem certam aut locum corregant, ſed vnam ſemper altera plus pollere. Sic *omnino* rure et vicis minoribus, nec ita refertis vrbibus, vbi liberior ſpiratur aer, epidemicam, *annuam* maxime, conſtitutionem magis, quam endemicam homines corregere ex aliorum obſeruationibus redundare mihi videtur, in magnis vero vrbibus domibusque hominum plenis, in quibus aer, fracta qualitatum peculiarium, vt frigoris, caloris, ventorum etc. vi, animalibus tot exhalationibus inquinatur, aut in aliis locis, vbi crebrae foedaeque euaporationes fiunt, endemicos potiſſimum morbos ſaeuire, epidemicos ſaltem plus minusue endemicorum naturam induere. Sed haec endemicorum morborum peculiaris quaſi eſt praerogatiua, quod, cum cauſſae minus in aere, magis in promtu nobis ſint, neque tam improuiſo, neque vtrimque, impetum in nos faciant, facilius etiam declinari et a nobis auerti poſſint.

Sed iam ad ipſas cauſſas transgredi par eſt. Et primum quidem hic etiam de aere dicendum erit, quatenus nempe maximarum terrae regionum (inprimis verſus ſolem) ſitu mutatur, climatisque aut coeli nomine deſignatur.

De

De coelo. De coeli vi in genere id praefandum esse videtur, quod e supra dictis satis iam patet, in influxu eorum inuestigando non tam morborum vulgo sic dictorum copiam, sed morbosas magis formationes habitusque vitiosos spectandos esse. Suum praeterea cuique coelum maxime conducere, alienaque, quo magis a suo discrepent, eo inimiciora illi esse manifestum est.

Sic, vt hoc vtar, sub Indiae coelo plurimi Europaei pereunt, Guineae incola, calidissimi climatis filius, tantum sub simili fere insularum Caraibicarum coelo tantum laborum ferre solet, quantum ne ad dimidium quidem tolerare sustinent Europaei: Sub calidissimo igitur coelo molliorem magisque apertam esse cutem expertum est, inde maiorem flexilitatem et mobilitatem articulorum, crebrioresque per cutem excretiones, per aluum et vesicam vrinariam minus frequentes. Quare Cl. Volney ait in Aegypto non tam id quaeri oportere, quomodo valeas, sed hoc potius, quomodo insudes. Plurimae itaque acrimoniae materiaeque nociuae per cutem excerni, ibique exanthemata, copia, magnitudine et forma mirum in modum variantia, generare solent. Neque tamen minimam ad haec exanthemata formanda partem conferunt innumera, quibus hae terrae abundant, caloris simul ac humiditatis producta, muscae, culices, formicae, scorpiones, chiquae, Vena medinensis *), aliaeque id ge-

*) V. *Velschii* Exerc. de vena Medinensi ad mentem Ebn. Sinae siue de dracunculis veterum, A. V. 1674. *Gruner* Morb. Antiquitat et auctius Act. Acad. Mogunt. a. 1777. p. 257 et *Fuchsii* Comm. de dracunculo Persarum S. Vena Medin. Arabum, Jen. 1781.

nus infecta. Sed prae ceteris debile esse videtur systema lymphaticum, vt quod et crebro, et plurimis contagiis afficitur, minime tamen perniciosis, quia, quod vero simillimum est, extensione eorum intensiua vis decrescit, tum quod per laxiorem cutis compagem auctumque calorem plerumque excernantur, et ob idipsum minor sit reagendi vis. Nam et variolae, et morbilli, luesque venerea in plerosque imperium suum exercent, at multo mitius, quam alibi, cum multi, venerea e. g. affecti lue, satis laetam senectutem degant. At vehementius paullo morbi illi saeuiunt, qui hyemali tempore, quod non tam frigore, quam imbribus aestum temperantibus, perque integros tres menses perseuerantibus, a ceteris anni temporibus distinguitur, hominum tenent corpora. E transpiratione enim cutis hic, si vsquam, maxime necessaria, perpetuo suppressa, et e materiae electricae in corpore defectu, dysenteriae ac cholerae, et intermittentes neruosaeque febres, et epilepsiae, tumores hepatici, hypochondriasis et, qui omnium atrocissimus est morbus, febris flaua *) nascitur, quae

*) Cf. Mackittrick et Moultrie de febre flaua n. 4. et 5. p. 87. seq. in Balding. Syll. Opusc. med. pract. T. I.

tamen praecipue in Europaeos, maxime si pluuiali tempore in terram venerint, crudelissimas caedes exercet. Praeterea abdominis systema, saepissime, magis tamen lente, turbatur. Humido enim aere pituitam vtplurimum gignente, aestu vero ciente bilem, atrabilaria fit constitutio et temperamentum melancholicum. Plurimum praeterea detrimenti calidissimi venti afferunt, e Libyae ac Aethiopiae defer-

desertis flantes, quos sirocco, samiel etc. vocant, quique per se iam vitae inimicissimi, tum et omnia perniciosa contagia in itinere sursum rapientes paucis letales sunt momentis, natura tamen sua adhuc nobis ignoti. Dein et oculi a nimio aestu solisque splendore saepissime laeduntur; inde frequentes ophthalmiae, amblyopiae, amauroses, cataractae etc. Omnibus vero his morbis prae ceteris obnoxios esse constat Europaeos, quorum natura et climatis atque soli magis est impatiens, et vita minus sobria ac modica; quorumque ingentes saepe strages edit, putridus ille bilis morbus, quem febrem flavam dicunt. Pleraque haec mala, exceptis iis, quae et continuis diuturnisque imbribus nascuntur, mitiora modo sub calidiori, non jam calidissimo coelo habitare experientia docet, e. g. in Italia, Hispania, Lusitania, inprimis vero atram bilem, hypochondriasin cum siccitate ac rigiditate, lienis et hepatis obstructiones.

Sed iam ad frigidum nos vertimus coelum, qui et quales ibi morbi versentur, visuri. Quod si frigidissimas regiones, Grönlandiam, Islandiam, Lapponiam, obseruamus, corpora robusta nobis occurrunt cuiuslibet laboris patientia, rigida cum sanguine spisso inflammatorio; occurrunt pulmonum atque narium haemorrhagiae; spasmi, capitis, aurium et dentium dolores, pleuritides, peripneumoniae, rheumatismi, arthritides, anginae, pulmonum phthises, ipsae etiam ophthalmiae et amauroses, e continuo niuis splendore partim oriundae, quae omnia tum maxime instant, cum aut boreales venti in terris septentrioni proximis, aut australes in meridie impetunt. Sed contagia, rarius quidem, saltem non continuo, at perniciosius multo atque foe-

dum in modum ſaeviunt. Cutis enim minus permeabilis, diutius in glandulis morari ea cogit, eas denique ipſas, cumque his univerſam oeconomiam animalem deſtruunt.

De coelo humido atque ſicco. Hac denominatione eum aerem deſigno, qui maxime e ſolo, fluviis, rivis, immo etiam e vicinitate maris aquas continuo reſorbet, neque tamen copia ea, qua ſaturatus pluvioſusque dici poſſit. Nequaquam enim perſuadere mihi valeo, ſub tali coelo homines ſubſiſtere poſſe, quod ſemper pluvioſum ſit. Sed iam, quomodo humidum coelum in corpus influat, videamus. Primum perſpiratio cutanea inſenſibilis non quidem reprimitur, ſed minuitur, tamen lente, corpus inſuper aquoſas ex aëre partes excipit. Inde laxa fit ſolidorum compages, et ſpiſſitudo quaedam primum aquoſa, deinde pituitoſa et acris. Subtiliſſimae enim partes evaporant, craſſiores vero remanent, cum ob laxitatem vaſorum minus poſſint excerni. Inde rheumatiſmi frequentes, hydropes, infarctus atque obſtructiones, maxime abdominis, digeſtio laeſa, aſthma pituitoſum, fluor albus, abortus, herniae denique nusquam crebriores, quam hic. De quibus vide HIPPOCRATEM l. *de aere, aquis et locis.* Ipſum etiam temperamentum in hanc conſtitutionem transformatur, fitque lentum, phlegmaticum. Quae omnia e. g. in Batavia verſari conſtat, cuius maxime humidum eſt coelum. Sub ſicco autem coelo alacriora ingenia et praecociora, corpora rigidiora plusque vigentia naſci, ſecretiones et excretiones cutaneas praecipue facilius fieri, corporisque aequilibrium minus turbari

par

par est. Hoc etiam maxime diſcrimine coelum in montium iugis ab eo vallium diſtingui conſtat. Nam in montibus eſt aer ſiccior, magis ſerenus, et vaporibus carens, ſimul et ventis magis movetur, quare morbi, ex humiditate ac impuritate aeris oriundi, his in locis alieni eſſe ſolent.

Sed in ſummis montibus hoc etiam accedit, vt levior ſit aer atque tenuior, pulmones non ſatis premens, ſanguinisque per eos liberum cohibens tranſitum; inde ex aucta reſpiratione aſthmata, pulmonum obſtructiones, haemoptyſes, peripneumoniae, tuſſes, quae a frigore locorum id regente praeterea augentur. Talia autem compluribus in Cordillerum iuga peregrinantibus contigiſſe accepimus.

In valloſa contra regione aer humidior eſt et ſpiſſior, et vaporibus magis inquinatus, ſubitisque temporis vicibus obnoxius. Pulmones nimis, caput minime premit, quare in hoc maxime humores feruntur, unde congeſtiones fiunt, capitisque debilitas et dolor, ſopores, appoplexiae, paralyſes; praeterea aſthmata pituitoſa, febres intermittentes aliique id genus morbi. —

DE SOLO.

Soli quatenus ad valetudinem confert, ſpectanda eſt materia.

Solum ſabuloſum atque petroſum, frugibus omnium maxime egens et ſicciſſimum, nocivique vaporibus minime capax eſt, ſereni potiſſimum eo-

cómes coeli. Sabulósum, seu a ventis, agitatum, seu animalium hominumve passibus turbatum et in aërem elatum, si pulmones ingressum est, indurationes, concrementa et asthmata sabulosa gignit; qui morbi juxta sculptores*) nulli hominum magis sunt communes, quam nunciorum et cursorum classi. Minus tamen inveniuntur in solo petroso, in quo aliud contra incommodum eminet. Nam vitrea eius superficie, dum solares radii magis reflectantur, frigus simul et aestus augentur, oculique etiam debilitantur ob continuum solis seu nivis et glaciei splendorem. Dein et aquae salibus minerisque magis abundantes calculos etc. crebro generant.

*) Cf. *Ramazzini* Abh. von den Krankh. den Künstl. u. Handwerk. v. *Ackermann* 1. B. S. 120. f.

Solum argillosum ac talcosum, in humili ut plurimum loco morans, procerum quidem et pinguium, at aquosarum et insipidiorum ferax frugum, ob humiditatem, qua stipatur, fibras relaxat superficies non solum externae, quae vapores eius resorbet, sed etiam internas primarum viarum, cum fruges etiam atque aquae natura eius participent; vnde laxitas et atonia ventriculi, concrementa, infarctus et obstructiones fiunt.

Solum calcosum, post sabulosum siccissimum, non quidem copiosissimae, sed nobilissimae ferax frugis, cuius aquosos humores propria vi insita resorbet, unde optimi quique succi earum concentrantur. Aqua ex eo orta resoluendis infarctibus, humoribusque ac vulneribus purificandis indonea quidem

quidem eſt, at ob ipſam irritandi reſoluendique uim diu ac frequenter nimis adhibita nimiam uentriculo ſenſilitatem et atoniam parare, tunc et calculos gignere poteſt.

Solum paludoſum omnium longe perniciofiſſimum eſt, vaſtum ſepulchrum, innumerarum uegetabilium, animalium et aquarum putreſcentium; peſtiferaque in aerem morborum ſemina diffundit, quod tunc potiſſimum fieri ſolet, quando calidi ſpirant uenti, nimis late, eheu! non iam in proximas, ſed in maxime remotas terras letalia illa laturi miaſmata, ubi ne optimae quidem cuique ualetudini parcitur. Nam ex cuiusque orbis terrarum partis exemplis docemur, ejusmodi miaſmata, ubicunque venerint, in omnia fere corpora ſaevire, febresque putridas ac neruoſas, ſaepiſſime malignas generare, quae ab initio ſtatim ad certam pene mortem tendunt, citoque finiuntur, aut ſaltem paralyſes, epilepſias, phthiſes aliosque morbos, maxime triſtes et funeſtos. Sic obſervatum eſt (vide *Finke* l. c., tum potiſſimum in Britannia ſpontaneas caedes fieri ſolere, quum initio et fine hyemis uenti e paludibus Norshfolkianis inimicas uitae partes advehunt.

Reſtat, ut de *ſolo metallico*. de *locis ſubterraneis* et *Vulcanis* dicatur, quorum vapores mephitici et ſulfurei, plurimasque aeris non perſpirabilis ſpecies continentes, non poſſunt noſtris non nocere corporibus, ſed inter omnes corporis partes pulmonibus ac neruis praecipue ueram inferunt peſtem, aſthmata producunt, cachexias, paralyſes, aut extemplo ſuffocando uitae lumen exſtinguunt.

II.

II. *In solo* respiciamus *frugum copiam*, quae non solum a fertilitate, sed ab aliis praeterea conditionibus pendet. Fertilitas enim a materia soli, dein etiam a coelo constituitur, at non frugum, quae in illo nascuntnr, copia, cui parandae augendaeve cum tempora anni tum hominum sedulas ac laboriosas manus fauere oportet. Plurimum autem huius rei interesse, multa exempla docent. Saepissime enim loca maxime deserta omnique fere fruge uacua in amoenissimas et fertissimas regiones mutata sunt. Contra, nobilissimum etiam solum, si incultum iacet, frugibus carere constat. Exemplo sit Guinea*), in qua terra segne hominum genus communi, nonnumquam horrida fame premitur. Qui vero ex inopia frugum**) generantur morbi, ad funestissimas hominum plagas pertinent, quod nunquam clarius apparet, quam tempore belli, praecipue in exercitibus vrbibusque obsessis***). Humores enim omni ex vegetabilibus vel animalibus nutritione et recreatione destitutos acres fieri, et tandem liquescere necesse est; cumque iam et solida refectione careant, nullaque amplius virium fiat

*) *Baion* Nachrichten zur Geschichte von Cayenne o. d. Franz. Guiana, 2 Th. 1. Abschn. S. 3. f.

**) De convulf. cereali novo morbi genere facultatis med. responsum, ed. *Gruner*, Iena 1793.

***) *Fred. van der Mye* De morbis et symptom. popul. Bredanis tempore obsidion. tract. ed. *Gruner* Ien. 1792.

fiat reſtauratio, quid mirum eſt, febres putrido — nervoſas, quin ipſam peſtem oriri, longe maiores, quam hoſtes, inter agmina edere ſtrages?

III. Sed et *qualitas frugum* et plantarum obſervanda eſt, ſintne a) *ſanae, nec ne.* Sanitas vero ſrugúm a tempeſtate maxime pendere, neque parvi in corpus humanum momenti eſſe videtur, de qua re, ſi plura legere) placet, vide *Perill. Zimmermannii:* Von der Erfahrung. Nam et ſegetibus ſui ſunt morbi, qui eas pernicioſas nobis reddunt. b) Licet ſane ſint, ſunt tamen, quae hominibus noceant. Quaeritur itaque, ſalubres ſint, nec ne. Nocere autem poſſunt conſumtione aut ſola iam exhalatione, aut inſectorum hoſpitio, maxime erucarum, Omnes igitur plantae, quae aſſimilationi cum humoribus noſtris non idoneae ſunt, ore hauſtae ea fere ratione nocent, qua crudiores ſuccisque noſtris magis alienae ſunt. Minus etiam eae ad cibum conducunt, quae aut nimis irritant, quae facile putreſcendo putridam corpori diſpoſitionem inferunt, quaeque corpus magis refarciunt, quam nutriunt. Exhalationes autem plantarum nocere poſſe α) quantitate nimia. Materiae enim maxime ſalubres, effluviorum copia, olfactorium nervum, et inde ceteros quoque plus iuſto afficere, et congeſtiones ad caput, ophthalmias, cephalalgias, ſopores, quin et apoplexias procreare queunt, quod in aromaticorum inſulis nonnumquam Europaeis advenis contigiſſe comperimus. β) qualitate ſola etiam nocere poſſunt. Sic in oriente potiſſimum, praeterea in Italia aliisque terris, oryzam, quae multa colitur, exhalatione ſua obeſſe, et ophthalmias febresque intermittentes gignere dicitur. (Vide FINKE l. c.) Sic etiam alicubi

cubi me legere memini perniciofos effectus e vaporibus Aconiti Napelli et Chelidonii maioris vifos effe.

DE AQVA.

Iam vero de *aqua* videamus, quas morborum endemicorum cauffas foveat. Eft aut falfa, aut dulcis. Aqua falfa a cauffa omnibus nota marina etiam dicitur. Et hic non alienum fore videtur, pauca *de morbis marinis* commemorare. Marinus autem a continentis aere his fere qualitatibus diftinguitur, quod a) humidior eft, fed falinis fimul partibus repletior, quae detrimenta ex humiditate oriunda corrigunt. b) moderatior eft. Nam et aeftus, et frigus ab aqua temperantur. c) gravior, fecundum experimenta *Perill.* INGENHOVS, (vide adnotationes) d) purior. Innumerae enim hic defunt terreftres, et vegetabiles, et animales continentis evaporationes; unde fequitur, marinum aerem in genere falubriorem effe terreftri. Sed numquam non ratio habenda eft a) ventorum, qui plurimum profunt, neque diu fine noxa poffunt abeffe. b) navium, in quibus refpiciatur, amplitudo, hominum copia, materies, e qua exftructae funt, d) regionis terreftre, ad quam tendis. Nullus autem propie endemicus in mari datur morbus, uno excepto fcorbuto *), qui frequentiffimus marinorum hominum morbus e tribus his maxime cauffis oritur, ex aere videlicet humido et frigidiufculo, dein

*) *Rupps* Abh. vom Scorbute, herausgeg. von SCHLEGEL, Gotha 1775. LINDS Abh vom Scharbok, Riga 1775. Diarii med. naval. in exped. Algerienfi auct. AASKOW Havn. 1774.

dein e consumtione deterioris faciliusque putrescentis alimenti, maxime piscium, denique ex angustiori spatio auctaque immunditie, quam sequi inde necesse est.

De aqua dulci paucis videamus, quid sit habendum. Quae, quatenus alienas e solo partes excipit, iam tractata est. Observandum praeterea est, num stagnet, an celeritate et quanam moveatur, quae quo maior est, eo salubrior aqua evadit. Stagnans vero facillime putrescit, plurimisque omnis generis cadaveribus inquinata, eosdem, quos solum palustre effectus exserit, et si quando bibatur, ova multaque insectorum semina in corpora nostra diffundit. Quaerendum etiam est, quinam sit illi situs versus solem ac ventos, congelationi admodum obnoxia sit, nec ne. Quod si multas metallicas et minerales partes continet, tunc fortius urinarias et cutaneas vias premit, irritandoque et adstringendo obstruit, vasaque exedit. Hinc obstructiones, stranguriae, ischuriae, calculi et arthritides oriuntur. Sed et hoc respiciendum est, num aquae copiosae sint, nec ne. Sin copiosae, e. g. fluvii aut rivi multi existunt, regiones saepius inundant, unde diarrhoeae, dysenteriae, hydropes, ophthalmiae humidae, et, adiuvante simul anxietate, febres intermittentes et nervosae oriri possunt. Crebriores etiam in iis regionibus nebulae, et rores, quin etiam imbres fiunt. Ex quo patet, plurimum ad situm earum respiciendum esse, qui si orientalis est, tunc nebulae istae citissime dissipantur, rarioresque multo sunt, sin vero occidentalis, tunc tardissime evanescunt; et frequentissimae et

maxime nocivae ſunt. Iam et hoc non minimum refert, ſintne pluviales, an fluviales, an nivales, de quo praeclare ſcripſit magnus HIPPOCRATES (*de aere, aquis et locis*). pluviales, vt ſaluberrimas, praedicans. Nam e ſubtiliſſimis fontium omniumque fluidorum partibus compoſitas eſſe, quae a radiis ſolaribus in aerem eliciantur, relictis terreſtribus et rudioribus: ſed quod (forſan ob animales volatilesque quasdam partes) pluvialis aqua, ut propriis divini ſenis verbis vtar, „ὀσμὴν σχει πονη-„ρὴν καὶ βράγχος καὶ βαρυφωνίαν τοῖς πίνουσι προΐστα-„ται“, priusquam bibatur, coquenda ac decolanda eſt. De nivali vero aqua HIPPOCRATES ſic ait: „τὰ δὲ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων ὕδατα πονηρὰ πάντα. „ὁκόταν γὰρ ἅπαξ παγῇ, οὐκ ἔτι ἐς τὴν ἀρχαίην φύσιν „καθίσταται, ἀλλὰ τὸ μὲν αὐτέου λαμπρὸν, καὶ κοῦφον, „καὶ γλυκὺ ἐκκρίνεται, καὶ ἀφανίζεται, τὸ δὲ θολω-„δέστατον καὶ σταθμωδέστατον λείπεται.“ Quod ſi ad haec frigidam huius aquae naturam reſpicias, facilius intelliges, calculos, ſtrangurias et iſchurias, et dyſenterias, et anginas inde generari, glandularum etiam tumores, maxime thyreoidearum, quas propius aqua tangit. Qua ex cauſſa fit, vt in omnibus ſummorum montium vallibus ſtrumae abundent, cum incolae hac crebrius vtantur aqua. Fluvialium aquarum pro ſolo, per quod fluunt, et pro locis, unde proficiſcuntur, diverſae ſunt ſpecies, quarum HIPPOCRATES optimas praedicat eas, quae ex ſublimibus locis et terrae tumulis profluant; dulces enim eſſe ait et albas, modicumque vinum ferre poſſe, per hyemem calidas, per aeſtatem frigidas, et ex profundiſſimis fontibus provenire.

Sed iam ad ultimam, et fere graviſſimam endemicorum morborum cauſſam tranſeo, nempe ad *vitae degendae genus.* Si hominem non, ut ſoli inſtinctui parens animal, ſed vt intelligentia, ratione et voluntate cogitamus praeditum, habemus eum multorum malorum ſuorum, aegritudinis etiam ſuae auctorem atque conditorem. Nam dum phyſicam naturam ſuo moderatur arbitrio, et moderari etiam debet, ob defectum perfectae de ea notionis ſaepiſſime contra ipſius peccat leges, quorum errorum naturales effectus ipſum eius corpus, pars naturae phyſicae, experiri ſolet. Plagae vero iſtae endemicae dicuntur, quatenus totae gentes minoresve hominum coetus erroribus pro tempore ſaepe neceſſariis et incorrigibilibus, ſaepe haereditariis et per avorum leges aut mores ſancitis, correpti naturaeque legibus adverſantes, communes naturales luunt poenas. Nulla quidem umquam mundi periodo homines erroribus carebunt, quorum tamen profecto numerus minui cum poteſt, tum debet, tumque et morbi, qui e vitae ratione oriuntur, minuentur. Et in his uberrimis tot morborum fontibus inveſtigandis et obturandis, aut quam plurima ſaltem nocendi vi privandis, praevertens potiſſimum in medicina methodus nititur. Sed iam ad ſingulas vitae rationis partes tranſgredior.

DE ALIMENTIS.

Primum quaeritur *de cibo ſumendo*, in quo reſpiciendum eſt ad quantitatem et qualitatem cibi.

 Quan-

Quantitas cibi aut nimia, aut nimis parca, et, urgente necissitate, fere nulla esse potest. Nimius cibus perpetuo et vehementer irritando primas vias debilitat, pondereque inutili gravando infarcit, insitaque privat vi, inde gastricos, biliosos inprimis morbos, gignit, brutis similes praeterea homines reddit, et ad quodvis acutioris ingenii opus ineptos. Edacitatem vero endemicam etiam esse, prae aliis locis exemplo est Vienna *) urbs, cui ingenia obtusa morbosque gastricos endemice inhabitare constat. Quare b. STOLL tam crebro antigastrica usus est methodo, maxime emeticis, quorum ad ingenium excitandum aut revocandum vim probatus eorum in stupore et mania sanandausus satis superque testatur.

*) *Nicolai* Beschreibung einer Reise durch Deutschl. B. 3. S. 189.

At modicum cibum corpori quam plurimum conducere, cum Hispanorum, tum plerorumque calidissimi coeli incolarum exempla abunde docent, qui, majori aestu licet perusti ac macerati, a gastricis morbis minus tamen afficiuntur, quam ceteri Europaei, sobrietate longe illis inferiores. De defectione cibi supra jam dictum est.

Quod vero ad qualitatem cibi attinet, quaeritur, sitne crudus, an coctus, vegetabilis, an animalis, simplex, an multa paratus arte, aromatibusque con-

conditus. Quo autem modo diverſae hae opſoniorum qualitates morborum exhibeant cauſſas, enarrare hic non eſt locus. Lubet tamen pauca ex libris referre, quae, quam ſit utile his attendere rebus, doceant. Sic compertum eſt, ſub calidiſſimo coelo multo minus morborum exitialium, e. g. dyſenteriarum, febrium bilioſarum et intermittentium in eorum hominum regionibus dominari, qui vegetabili potiſſimum utuntur cibo, e. g. in Arabia, Chili, etc. quam in iis terris, ubi animali cibo maxime veſcuntur, e. g. in Abyſſinia &c. (vid. FINKE V. e. a m. G.) Sic *ill.* BLVMENBACH a caſeoſo Helvetorum victu frequentes eorum hernias, et impetigines, et ſcrofulas derivandas eſſe arbitratur. Obſervatum etiam eſt ab Cl. GRANT, in terris, catholico ritui deditis, antipaſchali tempore, (tunc piſcarius maxime cibus increbruit) frequentiores intermittentes vagari febres. Sic frequentem opii uſum in Aegypto et Perſia ad multos, maxime capitis, morbos diſponere, notiſſimamque incolarum atram bilem augere neceſſe eſt. Inde forſan crebriores hypochondriaſes, cephalalgiae, apoplexiae, oculorum morbi, inprimis coecitates, quae in nulla orbis terrarum parte adeo abundare dicuntur.

Sed et *potus* ratio habenda eſt, num et quali ſingularum terrarum regionumque homines maxime indulgeant, aqua, an cereviſia, an vino, an fortioribus etiam ſpirituoſis &c. utantur. Nullam gentem aquae ſic amicam eſſe legi, vt Braſiliae incolas, in qua diiudicanda tam ſunt ſeveri ac delicatuli, quam Britanni in vini aeſtimatione, ſanitate vero et robore quam maximo gaudent. Eorum

vero, qui latius increbruerunt, potuum nullum in genere ſanitati adeo inimicum eſſe, quam ſpirituoſum nemo medicus dubitabit. Nervos enim quam plurimum irritando ac ſopiendo enecat, congeſtiones capitis, ſummam primarum viarum debilitatem et atoniam, paralyſes denique exhibet. His potiſſimum cauſſis crebros colicos et tympaniticos morbos, ophthalmias, capitis dolores et apoplexias adſcriberem, qui in Europaea Ruſſiae parte auctore Cl. FINKE verſantur. Operae quoque pretium eſſet diligentius obſervare morbos, qui vineales terras quique eas dominentur regiones, in quibus cereviſiae potiſſimum indulgeatur.

DE VESTITU.

De *veſtitu.* Veſtitum plurimum ad cutis totiusque inde corporis ſtatum conferre, quis dubitet, qui anatomiam atque pathologiam ſcite noverit? Equidem non poſſum mihi non perſuadere, quin ſi ſingulorum morborum cauſſas maxime remotas ſatius cognoſceremus, appariturum eſſet, veſtimenta frequentiores multo morborum exſiſtere cauſſas, quam vulgo creditur, neque umquam ad valetudinem noſtram tanti ponderis atque momenti fuiſſe, quam noſtra aetate, in ea, quam habitamus, terrae parte, qua ſuperficies externa ob ipſorum veſtimentorum domiciliorumque genus multo debilior et valde delicatula evaſit, ita, ut illa (veſtimenta) innumerorum morborum cauſſae exſtent. De eo autem, quid veſtitus in cutem noſtram totumque polleat corpus, plurima argu-

men-

menta referre poſſem, at e maxima copia pauca tantum exhibere ſufficiat. Conſtat, nonnullos morbos, e. g. arthritidem et rheumatiſmum cum apertum, tum ſub diarrhoea, colica, dyſenteria, mania etc. latentem, aut multo aegrius, aut nequaquam interdum ſanari, ni lintea veſtis in laneam aut ex panno cerato factam mutetur. Quid? quod e viris fide dignis *) accepi, mirum eſſe, quid

*) *Falconer* Verſuch über die Erhalt. d. Geſundh. d. Landl. überſ. v. *Michaelis*, Leipz. 1793.

in miliari morbo induſiorum cum materia, tum temperatura atque forma in exanthemata iſta totumque morbi ſtatum polleat, vt frigidiuſculum induſium linteum miliaria extemplo repellere, certoque mortem adducere poſſit. Obſervatum etiam eſt ab ill. Fritze (v. Annålen für Aerzte und Geſundheitliebende Tom. I.) dyſenteriis eos maxime impeti, qui poſt dies calidiſſimos veſpertino et matutino tempore eadem, qua interdiu, levi foris ambulent veſte Quid de iis dicam, qui ſpiſſis loricarum in modum veſtibus adeo indulgent, vt nulla umquam corporis eorum pars ne momento quidem nuda eſſe poſſit, quin extemplo tranſpiratio ſuppreſſa triſtiſſima ſymptomata exhibeat? Reſpiciendum igitur (vide*) *Wallich* diſſ. medic. de vi veſtimentor. in corpus humanum, Jena, 1793.) eſt: 1° ad materiam veſtimen-

*) Vaughan's Verſuch über die moderne Kleidung, Leipz. 1793.

mentorum, ſitne lanea, ſericea, ſericeo-leporina, lintea, pellicea, ſeu plumea *). Quaerere hic mihi liceat, annon veſtimenta pelicea hominum ſeptentrionalium multum ad ſcorbuticum generantum conferant, qui ibi endemice dominari dicitur? 2° ad ſtructuram ſive texturam, denſane ſit, an poroſior. 3° ad formam ſintne ampliora, an anguſtiora. Non minimam quidem partem ad auctam ſyſtematis cutanei noſtra aetate debilitatem conferre mihi videntur anguſtiſſimae, quibus nunc incedunt, veſtes, quibus fit, ut cutis ſemper praeternaturali irritamento laceſſita et compreſſa primum quidem vehementius reagat, tandem autem laxior et debilior evadat, ita, ut inimicos influxus minus repellere queat, ſaepiusque ceteras corporis partes in tumultum vocet. Videamus contra orientalium hominum veſtimenta ampla atque laxa, cutim vero, in ſummo licet aeſtu, noſtra tamen longe validiorem, quippe quae multo ſaepius inimicas corpori materias ſine magno interno tumultu exanthemata ciendo eliminat.

DE HABITATIONE.

Habitationes ſpectandae ſunt ratione ſitus, qualitatis et quantitatis. Videndum igitur, qualis ſit earum ſitus verſus ſolem aut ventos, aut terram. Situs orientalis omnium maxime conducit, quod et nebulae roresque maturius diſſipan-

tur

tur, dein et aeris temperatura lenior eſt. Omnium vero occidentalis plurimum obeſt, cum in iis locis et nebulae diutiſſime morentur, aerque ob longiorem ſolis abſentiam ſimul et frigidior ſit; unde, tranſpiratione cutanea turbata, fibraque conſtricta, fluidorum motus lenteſcunt, hinc cachexiae, cacochymiae, hydropes, rheumatismi etc. Explorandum praeterea, num ventis liber aditus pateat, et quibus, num fluvii aut paludes, aut lacus, aut maria in propinquo ſint, num ſitus altus ſit, nec ne. Ratione qualitatis quaeritur, habitacula ſint ſpatioſa, an anguſta, hominibus abundent, nec ne. Quam vero peſtifera ſit hominum in anguſto ſpatio copia, innumera, praecipue e pauperum ordine, docent exempla, in quo et aeris impuritas, et hominum immundities aucta, tum et cibus tenuis ac vilis, totum denique aerumnarum agmen minimas quasque morborum qualiumcumque ſcintillas in atrociſſimas flammas incendunt, quae plurimas devaſtant familias. De qua re ſi plura legere placet, vide FERRIAR über die Entſtehung anſtekender und neuer Krankheiten, a. d. Engl. überſetzt, Leipz. 1793. Nulla vero domicilia vitae inimiciora eſse ſolent, quam ſolita ptochotrophia, noſocomia et carceres, in quibus omnes cauſſae ſupra iam dictae magis adhuc vigent, febresque putridas (carcerales inde dictas) praeterea et ſcabiem, ſcorbutum etc. generant.

Quod ſi de quantitate habitationum dicendum eſt, nulla loca minus ſalubria eſſe conſtat, quam magnas urbes copioſoque hominum coetu gaudentes; quippe ubi aer a tot millium pulmonum cu-

cutisque externae exhalationibus non corrumpi, et ad vitae flammam alendam non ineptus fieri nequit. Praeterea materiei, e quibus exſtructae ſunt aedes, et officinarum animaliumque domeſticorum, maxime canum (qui in quibusdam urbibus quartam incolarum conſtituunt partem) evaporationes aerem plurimum inquinare ſolent. Facillime inde intelligetur, ex omnibus cauſſis enumeratis pulmones plurimum affici, humores cachecticum induere habitum; dein et primas vias quam maxime debilitari, cutimque inquinari et a pernicioſis miaſmatibus infici debere, quae, iuvantibus ceteris rebus, epidemica inprimis conſtitutione, in corporibus praediſpoſitis febres nervoſas atque putridas generare vix non poſſunt.

DE NEGOTIIS.

Varia autem hominum negotia aut cum multo, aut cum exiguo, aut fere nullo corporis motu conjuncta ſunt. Iu urbibus a ſedentaria ut plurimum vita viſcera abdominis continuo compreſſa debilitari, ſecretionum functiones turbari, et humorum in caput impetum augeri neceſſe eſt; tardi inde morbi fiunt, hypochondriaſes, hyſteriae, digeſtio laeſa, obſtructiones et infarctus, hydropes, phthiſes, cephalalgiae et apoplexiae. At vegetior ruralium hominum vita, acutos potius morbos parit atque endemicos, ſicuti ſupra iam dictum eſt. Nam et libero aeri magis exponuntur, et longe minori habitationum circumveniuntur copia, quarum tamen anguſtiae et fornicales aeſtus hieme,

qua

qua domi degitur, longorum morborum fundamenta iacere ſolent.

Sed et *mores*, et *cultus hominum* uberiores morborum particularium cauſſas exhibere extra diſceptationis aleam poſitum videtur. Stupendum et vix credibile eſt, quantum characteres, et temperamenta, et dogmata ſingularum gentium in morbos eorum influant. Nulli autem rei ſic attendere medicum decet, quam educationi, quae univerſi futuri corporis ſtatus moderatrix dicenda eſt. Obſervandum igitur quam maxime eſt, educatio ſit mollis, an durior, liberior, an ſeverior, num homines proniores ſint in laborem, an in ignaviam, in ſuperſtitionem, an levitatem, in ſobrietatem et caſtitatem, an in intemperantiam et laſciviam, quae ob atrox illud, quod plurimis libidinoſis, licet et aliis ſaepiſſime nunc inhaeret contagium, omnium earum cauſarum morboſarum graviſſima vix non putanda eſt. Quaeri praeterea oportet, num homines munditie, balneis maxime, delectentur, quae in toto Oriente quam plurimos morbos aut avertunt, aut ſaevientes iam reprimunt, porro, quae ſit magiſtratuum erga illos ratio, bona, an iniqua, quibus vtantur clericis, iurisconſultis, medicis. Medicorum maxime methodus quantum in totos gentium ſeu urbium coetus polleat, inter alios viros Cl. Fovrnier teſtatur (v. Lentin's Beyträge zur ausübenden Arzneikunde, Leipz. 1789. S. 122.) qui, ex quo mercurii corroſivi vſus in Gallia increbuerit, febres inde lentas dominari ibi narrat. Se ipſum enim plus quam ducentos homines hoc modo morti traditos vidiſſe. Sic et olim ob ſolitas in

qnoque

quoque feré morbo venaesectiones intermittentem febrem latius multo, quam nunc, saeviisse verosimillimum est Sed tantum subtiliorum caussarum externarum est agmen, quantum ne maiori quidem volumine absolveretur, mihi vero frequentissimas earum attigisse sufficiat.

THESES.

I. *Febris intermittens in genere nervosae naturae esse mihi videtur.*

II. *Ver tempus maxime criticum esse arbitror.*

III. *Caussa, cur ver nostrum Hippocrateo veri, quoad letalitatem, plane oppositum fere sit, ut mea fert sententia, debilitati hominum nostrorum debetur.*

IV. *Morborum similitudo nequaquam a nomine pendet.*

V. *Constitutio epidemica acutos, endemica longos magis parit morbos.*

VI.

VI. *Febres continuae nervosae atque putridae origine, nequaquam natura differre mihi videntur.*

VII. *Remedia antispasmodica ulteriori in materia medica dispositione ac divisione quam maxime egere arbitror.*
